

1577

dos, sed regnandi in primis cupidine arma capiant; non pacis adipiscendæ studio, sed ut ex bellis bella ferendo novis accessionibus fines proferant. Persæ alternatim modo in pace degunt, modo arma carent. Ingentes divitias, quæque humana industria ad firmanda atque augenda imperia excogitari possunt, ea omnia Turcis bella peperere; inde tormentis eujusvis generis, machinis cum ad expugnanda tum ad tutanda oppida, ceteroque bellico apparatu, fistulatoribusque in primis abundant. Ab earum plerisque imparati Persæ sunt; non iis multi tormentorum magistri, non ingens, ut apud Turcas, scloppettiorum numerus, non extruendarum ac muniendarum arcium peritia; sagittis potius præstant, astuque militari pollent: modo inferre ac repente referre pedem, hostem simulata fuga in insidias præcipitare, quam justo ordinatoque prælio dimicare. Inde effectum est, ut saepius, Turcarum internecione ac strage edita, nunquam eorum amoliri progressus potuerint; quippe qui urbes expugnando, novas erigendo arces, militum præsidiis firmando, in Persidem se intulerint; ac licet bello ancipiti, immensam fere Turcarum multitudinem excindere, non tamen Taurisio, non Media pellere tunc Persa potuerit.

Alio igitur aversis Amurathis curis, turcici belli assidua suspicione amota, immani impensarum mole, quæ in classe atque milite absumebatur, liberata Republica, vectigalium fructus augeri, auri vim in ærarium congeri, uberioraque pacis bona percipi coepere. Opportunum id quoque christianæ reipublicæ acciderat, ut, quo tempore Gallia civilium dissensionum fluctibus, Belgium bello agitabatur, alio communis hostis vires converterentur. Nam licet, conditionibus inter Henricum Regem ac foederatos Principes pactis, incendium illud, quo sex ac viginti annorum spatio Gallia corripiebatur, si minus extingui, at sedari saltem posse videretur; tamen in iis exequendis nova dissidia exoriebantur. Nam, regni ordinibus Blefium vocatis, quæ religionis capite continebantur, quo Ugonottis non tantum libere de religione sentiendi, sed in universo fere regno ejus exercendæ facultas permittebatur, ordines abnuere, Petro Epicanaco, Lugduni Antifite pro ecclesiasticis; Claudio Baufremonio pro nobilitate; Versorio

Pa-